

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 187, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

~~Lk 1573~~

Leibn. Marg. 187

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 187, [2] - -

PUBLIC DOMAIN

Lk 1573

Illustri Celeberrimoque Viro,

DN. JOHANNI WALLISIO,

Professori in incluta Oxonienſi Academia
Primario & Seniori
OLAVUS RUDBECKIUS Filius
S. P. D.

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA

NOn miraberis, Summe Virorum, quod literis hiſce Te compellatum cernas. Nam & humanitas tua, quâ, dum apud Anglos agerem, me complectebaris, & etiamnum complecti, per cl. Dn. SCHULT, qui iteratam tuo nomine ſalutem mihi nuntiavit, declaraſti, hoc, quidquid eſt literarii officii, a me elicuit extorſitque. Præterquam quod tot amœni feliciſſimique ingenii tui, omnigenæque eruditionis tuæ documenta in publicum protuleris, ut videar fortunæ meritò iraſci poſſe, quod familiariorem ad Te aditum antea non aperuerit. Quamquam & propriam hic agnoſcam culpam, quod tenuis verecundia ingenii, magnorum virorum conſvetudinem ambire non ſuſtinuerit; & vehementer identidem doleam, quod ſæviens apud nos ſuperiore anno flamma, adverſariorum meorum partem non exiguam infelici meo fato conſumſerit, adeo ut minus nunc expedita mihi videatur apud Te conciliationis via. Attamen cum ipſe, quâ es inuſitatâ humanitate facilitateque, feneſtram propioris acceſſus mihi panderis,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 187, [3] - -
PUBLIC DOMAIN

deris, & per ante nominatum ingeniique pulcerrimi felicitate, & raræ eruditionis laude, bonis omnibus & Tibi impendio commendandum Dnum Schult rogasti, specimen aliquod Laponis nostri, in ultimo septentrione Hebraizantis, ad Te transmitti; hanc lætus arripio ansam, & simul cum fasciculo quodam Lapo-Hebraicarum vocum, mea studia atque instituta, memetque ipsum tuo favori insinuo. Ideo autem paulo liberaliore manu nunc in antecessum communico voces, ne quis jure suo nobis objicere possit, quod olim summum virum Josephum Scaligerum in sua ad clariss. Isaaci Pontani Itinerarium Gallicum, epistola observasse legimus; scilicet *de duobus aut tribus* (addere ego ausim triginta vel quadraginta) *verbis hodiernas dialectos ad priscarum origines referre, non adeo tutum est.* Sic enim & omnes fere orbis Europæi lingvas Hebræas faceres, quippe cum nullam illarum esse existimem, cujus viginti aut triginta, imo verò centum & plures voces Hebræas non deprehendas. Atqui ad incunabula & affinitatem Hebræi Idiomatis easdem interea revocare velle; næ id cum temeritate & nimia confidentia conjunctum videretur. Ceterum in qua voces maximam partem e. gr. ex duobus millibus vocum, mille septingentas vel octingentas invenire licet, non solum literarum numero & situ, sed & significatione, cum propria tum metaphoricâ, etiam in derivatis & compositis, sæpe quoque affixis & suffixis, prorsus cum Hebræa easdem, sive nomina propria fuerint virorum, fœminarum, sive adpellativa animalium, herbarum, mineralium &c. annon illa lingva præ ceteris aliquâ prærogativâ digna censenda est, jureque & merito Hebrææ soror vel consobrina salu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 187, [4] - -
PUBLIC DOMAIN

ſalutanda? Quamvis autem hoc de Laponica noſtra lingva plane affirmare non ſ.ſtineam, utpote ſterili, nec ultra mille, mihi ſaltem adhuc notis, gaudente, verbis radicalibus; id tamen Sveticæ noſtræ ex aſſe convenire certiſſimum eſt, cujus ea eſt copia, & cum Hebræa affinitas, ut quicquid in hac & Laponica deſiderari videbitur, id ipſum hæc noſtra abunde ſuppletura ſit. Et ſicuti ea aliàs terræ Sveticæ (Svidland) eſt ratio, ut igne fœcundetur, atque ubi ſuperficies ejus, arboribus, fruticibus atque herbis conſita, in favillas & cineres redacta eſt, ſemina ſibi commiſſa largiore longe proventu reddat: ita idem mihi nunc uſu venire deprehendo, quod poſtquam Vulcani furore, haud pauca, quæ in hanc rem ſuperioribus annis congeſſi deleta ſunt; nunc cum poſtliminio ad hanc memet compoſuerim operam, alacrior multo & vegetior mihi reſurrexerit & Lapo & Svedus. Quorum poſteriorem ita Hebraicè loquentem experieris, ut ſi genuinas vocum radices ſpectaveris, & Chaldaicam & Syriacam Arabicamque hac in parte ab ipſo quodammodo ſuperari deprehendas. Quid quod integritate, ſimplicitate & perfectione, ne ipſi quidem Hebrææ lingvæ, ut equidem arbitror, cedat. Verum enimvero ſi ex duobus tribusve millibus vocum ducentæ aut trecentæ tam longo temporis, triumque millium (& quod excedit) annorum tractu, immutationem aliquam expertæ aut planæ deperditæ fuerint, quis quæſo niſi oppido moroſus, ſororium illud, quo conſtrictæ ſunt, vinculum ſolvendum abrumpendumque arbitrabitur? Ne autem quis putet me propria hic abundare velle delectarique ſenſu, rem omnem virorum hujus rei peritorum, nec cavillari aliorumq;

operam invidiâ (ut ſeculi mos eſt) inſectari volentium, cenſuræ lubens libenterque ſubjicio, probè memor Apophtegmatis iſtius Salomonis Prov. c. 18. v. 17. צדיק הראשון בריבו ובא רעהו וחקרו item cap. 7. v. 2, כל דרך איש ישר בעיניו. De cetero Rhadamanteo hic judicio uti me velle nemo deprehèndet, verum ſicubi ipſe progreſſu temporis aliud meliusque invenero, vel ab aliis amicè luculenterque edoctus fuero, protinus ſententiam vel immutare vel rejicere promptiſſimum experietur. Namque lucubrationibus hiſce etymologicis, quibus per paucos hoſce annos, neſcio quo impulſu, adprimè addictum me fateor, non vanam gloriolam, nec lucrum aliquod animo præſumſi (ſcriptis enim in ſeptentrione divitiarum vel nummorum quidquam lucrifacere velle, niſi gratioſa munificentia Regis acceſſerit, inepti eſſet atque ſtolidi) ſed poſt divini Numinis, devotiſſimâ veneratione ſemper laudandi, gloriam, ad id imprimis collineavi, ut firmum aliquod fundamentum, quo inniti, certaquè obruſſa, ad quam exigi voces noſtræ poſſint, haberetur. Quod ſane non niſi multo cum uſu inſignique emolumento conjunctum iri, dies atque tempus docebit. Hac autem qualicunque meâ operâ ita defungar, ut ne vel minimam quidem in aliorum eruditorum derivationes vel etymologias, ſicubi vitioſas vel cum meis minus congruas deprehenderim, cenſuram exerceam mihive arrogem. Iſtas enim de induſtria vel alto ſilentio præteribo, vel ubi opus fuerit, ſimplici commentatione recenſioneve adtingam. Quapropter & hanc mihi viciſſim ab orbe erudito ſtipulari paciſciq; æquitatem liceat, ut innoxio labore nitentem me adverſus malevolorum morſus & dicteria tueatur vindicetque. Ea enim eſſe ſolent Lexicographorum, quīque etymologias

logias vocum tradunt, fata, teſte τῷ θεάνυ Scaligero, ut multos inimicos hoſtesque ſibi comparent. Quod ſi Tibi, virorum Summe, non improbari hujus mei inſtituti rationem animadvertero, næ gratiſſimum laboris fructum percepiſſe me votique damnatum cenſebo. Quin & animum & calcar mihi addes, aliis in rei literariæ commodum elucubrandis, & ſimul lingvæ Finnonicæ cum Laponicæ affinitate, quin & Sveticæ, imo & Islandicæ, Norvagicæ, Danicæ, Anglo-Saxonicæ, Germanicæ, Belgicæ, Gallicæ, Italicæ, Hiſpanicæ, Slavonicæ, Græcæ, Latinæ &c. cum Hebræa lingva [peculiari tamen & ab hoc noſtro præſente diverſo opere, quod Lexici Etymologici Polyglotti nomine inſignitur) convenientia demonſtranda. Tu interim, ſumme virorum, in ſeram annorum ſeriem orbi erudito ſoſpes ac ſuperſtes vive, vale! Dab. Upſal. ad d. 23. Junii 1703.

Faſciculus vocum Lapo-Hebraicarum.

Avohi Lap. delectatus, gaviſus fuit, deſideravit. אוה Hebr.

Avoh Lap: gaudium, voluptas, deſiderium, honos. וה Hebr.

Peisdi Lap. perdidit, deſtruxit. פסד Hebr. hinc

Peisde Lap. perditio, deſtructio, peſt Svet. peſtis Lat.

Zouhi Lap: ſplenduit, luxit. זיה Arab.

Affi vel *Awi* Lap: cinxit, circumdedit. אפף Hebr.

Affe vel *Awe* Lap. cingulũ, quo derivato ab אפף Hebræi carent.

Hæivi Lap. noxa, pernicies, damnum. חוה Hebr.

Niſum Lap. mulier, uxor â נסים Hebr. pl.

Kuhe ſ. *Kuche* Lap. longus, eminens, altus. â נאה H.

Rassi Lap. pluit. רסס Hebr.

Rass pl. *Rassem*, Lap. pluvia רסיסים Hebr.

Outhoi Lap. miratus, admiratus fuit. תהה Rabb. תהא Chald.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 187, [7] - -
PUBLIC DOMAIN

Outho ſ. *Ou' o* Lap. ſignum, miraculum. אות Hebr.
Eke Lap. etſi, etiamſi כי H.
Hadas Lap. novus חדש Heb.
Haaſie vel *Hadſche* Lap. luna, menſis. חדש Hebr.
Puore Lap. clarus, mundus bonus. בר Hebr. pur Svet. *pur* Gall. purus Lat. [Genus ſuggerit Author Potat Teutam Germanica eſſe Iudent.]
Puori Lap. purgavit, ſanavit, reparavit. ברא Heb.
Mi & *Ma* Lap. quis, quid, qualis, quale, quomodo, מה Hebr.
Aſi Lap. fecit, perfecit. עשה Hebr.
Aſie Lap. res, opus, effect⁹. מעשה Hebr.
Harezi Lap. celer fuit, feſtinavit. חרץ Hebr.
Hialo vel *Gialo* Lap. fortis, potens. a היל Hebr. איש היל vir roboris.
Ælo Lap. non, nihil. אל H.
Siuki vel *Juki* Lap. bibit, שקה Hebr.
Huolgi ſ. *Wuolgi*, Lap. abiit, perrexit, הלך Hebr.
Aulli ſ. *Abelli* Lap. egit, operatus eſt עולל vel פעל H.
Harami unde frequentat. *Haramadi* Lap. deſtruxit, vaſtavit, crudeliter tractavit, הרס Hebr.
Eseli Lap. laudavit, æſtimavit סלה Hebr.
Ruoki Lap. & Finn. pavit, comedit רעה Hebr.
Zalgi Lap. inclinavit, declinavit. unde
Zalge Lap. inclinatio צלע Hebr.
Ragami Lap. frequentat. à
Ragi cumulavit, in acervũ congeſſit. רגם Hebr.
Al Lap. ſuper, ſupra. על H.
Thulue Lap. aquæductus, rivus תעלה Hebr.
Zayethi Lap. frequent. divagatus eſt, erravit à צעד Hebr.
Uala Lap. ſed, niſi אלא H. ἀλλὰ Græc.
Alop Lap. magna copia, ingens multitudo אלף Heb.
Afo Lap. adhuc, amplius. אף Hebr.
Sæk Lap. Saccus. שק Heb.
Saru Lap. bos, taurus שור Hebr.
Alm Lap. vir juvenis vel adultus. עלם Hebr.
Almevoth Lap. Juventus, virilitas. עלמות Hebr.

Remi

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 187, [8] - -
PUBLIC DOMAIN

Renni Lap. vociferatus eſt, vehementer clamavit, tumultus excitavit, cantavit. רנן & רננא Hebr.

Pateri Lap. fugit, effugit, diſperſus fuit. פזר & בדר Hebr.

Paſchi ſ *Paski* Lap. diviſit, percuſſit. פשח Heb. פסך Chald.

Kah Lap. & *Kuh* ſicut כה H.

Iſe & *Iſeth* Lap. vir, maritus, dominus. איש Hebr.

Æma Lap. mulier, uxor, marita. אם Hebr.

Æmethe Lap. frequ. domina, an ab אמות Hebr. pl.

Lauki Lap. ivit, ambulavit. ילך Hebr.

Euan & *ïen* Lap. non, nihil אין Hebr.

Juoks Lap. laqueus, arcus, fraus, inſidiæ vel quidquid ad feras capiendas extenditur. יקש Hebr.

Kole Lap. Lulenſ. & *Kule* Lap. Torn. vox. קול Hebr.

Kuli Lap. audivit, qua radice Hebræi deſtituũtur.

Ædhame ſ. *ædname* Lap. Lulenſ. *Ednam* Lap. Torn. terra, humus. אדמה H.

Aſso Lap. fundamentum. אשיש Hebr.

Kiria Lap. liber, biblia. קרא Rabb.

Suopudi Lap. feriit, cecidit, percuſſit. טפד Hebr.

Kapi Lap. opreuit, texit. חפא Chald. Hinc *Kapa* Svec. pallium.

Marſæ Lap. ſponſa. מארסא Chald. ab ארש Hebr.

Pakadi Lap. caſtigavit, punivit. פקד Hebr.

Nuor Lap. juvenis, puer, נער Hebr.

Nuoravoth Lap. pueritia. נערות Hebr.

Razi Lap. fregit. רצע Hebr.

Palih Lap. fodit, aravit. פלח Hebr.

Raudi Lap. fluxit, defluxit. רדה Hebr.

Raudne Lapon. fluvius. רדיאן Chald. & Syr. fluenta. Num hinc Rhodanus, Rhenus? &c.

Palthi Lap. tremuit, territus fuit. פלץ Hebr.

Paloth & *Paltevoth* Lap. terror. פלצות Hebr.

Sara Lap. princeps, dux, dominus. שר Heb. hinc *Ser* Angl. *Sire* Gall. *Zar* Ruſſ. &c.

Auzi

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 187, [9] - -
PUBLIC DOMAIN

Autzi Lap. roboravit. אשש Hebr.

Autzi Lap. robuſtus, potens, fortis fuit. התאושש Heb.

Epe Lapon. non, ne, nihil. אפע Heb. quo vocabulo non parum illuſtratur atque confirmatur locus Eſai. cap. 41. v. 24. *Et opus veſtrum* מאפע h. e. *ex nihilo. min epe* Lap. vel contracte *m'epe*, h. e. ex nihilo, quem locum LXX ἐκ γῆς, *ex terra*, Hieronymus autẽ מאפס legit.

Epekulo Lap. inobedientia.

Epekulos Lap. inobediens, ſive alterius voci non auſcultans.

Sjokki vel *Jocki* Lap. diviſit, partitus eſt שקק Arab.

Kali Lap. comedit. אכל H.

Kaliti Lap. frequent. ſaturavit, cibo ſatiavit. האכיל Hebr.

Kay Lap. clamavit, mugivit. געה Heb. & געא Chal.

Kaja Svec. graculus, ſive ſcurra Ariſtoteli.

Hathi vel *Adhi* Lap. dormivit. חוה Hebr. unde

Adhe vel *Hathe* Lap. lectus cubile.

Hazi vel *Atzi* Lap. accendit, arſit, aduſſit. אוה Chald.

Hatza vel *Atzah* Lap. fulgur. חזז Hebr. & Chald. אצא Arab. illuminavit, illuſtravit.

Hiſched vel *Histhe* Lap. benignus, benevolus. חסד Hebr.

Sialki ſ. *Skialki* Lap. emiſit, extendit. שלח Hebr.

Sialha ſ. *Schialka* lacus in Lap. Lul. שלה Heb. nom. propr. fluvii vel lacus prope Jeruſalem à

Schalhi ſ. *Schalhui* Lap. fluxit, profluxit. שלה Heb.

Galmai ſ. *Kalmai* Lap. abſcondit, occultavit, ſepelivit. עלם Hebr.

Kalli Lap. abſolvit, perfecit. כלל Hebr. (כליל H.

Kalle Lap. abſolutum, ſatis.

Thoumiz Lap. didymus. תאמים Hebr. unde תאומא nom pr. Thomas.

Uali Lap. juravit, male imprecatus eſt. אלה Hebr.

Ualæ juramentum, maledictio imprecatio. אלה H.

Pikde & *Paikte* Lap. veſtis, veſti-

mentum בגד Heb. *Paigta* Svet.

Maide Lap. Lul. *Maite*, Tor. quid? מדוע Hebr.

Mude Lap. veſtis [unde *lapmud* Svet. induſium ex pellibus rangiferinis]. מד Hebr.

Lulue Lap. Lulenſ. niſi, לולא Hebr.

Thuoki Lap. preſſit, fixit, pulſavit, inflavit תקע H.

Thuoka Harpotum Lap. pulſa lyram tuam.

Giedi vel *Thieti* Lap. ſcivit, novit, ידע Hebr.

So & *Son* pl. *Sii* Lap. ille, illi. זה Hebr.

Ize vel *Hize* Lap. ipſe הוה Chald. a זה Hebr.

Ztorri vel *Thorri* Lap. anxit, afflixit, circumvallavit, hoſtiliter ſe geſſit. צרר Hebr.

Thorro Lap. prælium, conflictus, angor, quo derivato, a צרר Hebræi deſtituuntur.

Puozeh vel *Puoze* Lap. pedibus contractus, Svetice Krympling. פסח Heb. & hunc ſenſum videtur פסח habere 2. Sam. 9. v. 13. פסח שתי רגליו claudicabat duobus pedibus ſuis. an fortè? contractus erat duobus pedibus ſuis.

Sieki Lap. delevit, abraſit. סחה Hebr.

Naſi Lap. fugit, aufugit, in tutum ſe recepit נוס H.

Naſo Lap. refugium, aſylum. מנוס Hebr.

Salahi Lap. ſpoliavit, prædatus eſt; שלח & שלל Heb.

Salaha Lap. præda, ſpolium, שלל & שולל Hebr.

Pudi & *Puthi* Lap. exemit, redemit. פדה Hebr.

Nau & *Na* Lap. nunc, age, quæſo, נא H. *nu* Svec.

Jed vel *Kied* Lap. manus. יד Hebr.

Kiætzi vel *Kiæzi* Lap. vidit, contemplatus eſt. חזה H.

Kietzi Lap. ſprevit, contemſit. חזי Arab.

Paluk Lap. baculus פלך H.

Pothi vel puothi Lap. diſperſit. פוץ Hebr.

Puothe Lap. diſperſus פוץ H.

Nuogi Lap. quievit, requievit, dormivit. נוח Heb.

Niego Lap. quies, requies,

ſomnus, inſomnium. נה Hebr.

Rakie Lap. extenſio, capedo. רקיע Heb.

Paski Lap. ſcidit, incidit, pupugit, percuſſit. פסק Hebr.

Pako Lap. verbum, ſcientia, intelligentia, ſermo, an פקה & פקי. Syr.

Sobet Lap. & *Sobe*, virga, baculus. שבט Hebr.

Rathki vel *Rahki* Lap. abiit, divagatus, remotus fuit, רחק Hebr.

Siegi Lap. depreſſus, demiſſus, immerſus fuit. שקע Hebr.

Sielki Lap. albuit, canduit, השלג Hebr.

Sielke Lap. albus, candidus, pellucidus.

Paini Lap. vertit. פנה Heb.

Stago Lap. jugum זוג Chal. ζύγος Gr.

Tevi ſ. *Tefi* Lap. Lul. *Tievoi*, Torn. impletus, repletus fuit. טבע Hebr.

Tevo aikne Lap. fluvius repletus, exundans. Sic טובענא Chald. diluvium.

Posgi vel *Poski* Lap. transgreſſus eſt, rebellis vel inobediens fuit. פשע Hebr. hinc *Peché* Gall.

Posgeti Lap. frequ. crebro tumultuatus eſt vel rebellavit.

Maradi Lap. rebellis, ſeditioſus fuit. מרד Hebr.

Maradvot & *Maravot* Lap. rebellio, tumultus. מרדות Hebr.

Hæg Lap. ſinus, gremium, uterus, abdomen. היק H.

Pelki Lap. lis, diviſio. פלג H.

Ruoſo Lap. tonitru, fragor, tremor. רעש Hebr.

Pethi Lap. perſvaſit, allexit, illuſit. פתח Hebr.

Soiki Lap. ſedit, accubuit, שכב hebr.

Sædke pl. *Sædki* Lap. jus, juſtitia, ſtatutũ. צדק hebr. fœm: צדקה.

Sagi Lap. crevit, multiplicatus, auctus fuit. שגא & שגה. Hebr:

Sagih Lap. multiplicavit, auxit, שגיא et השגה Hebr.

Raki vel *Rakki* Lap: dilexit, amavit. רגג Chal. et Syr.

Rake ſ. *Rakke* Lap. amatus, de-

desiderabilis, charus. מרגג Chald.

Pothi Lap. venit, ivit, introivit, בא Hebr: unde באת veni, Heb: hinc

Pothamod Lap. cito, crebro venire, &

Pothema Lap. adventus, accessus, itio, acceleratio. num hinc sit Græcorum ποταμὸς fluvius, vix dicere audeo?

Muossi Lap. (unde frequent. *Muossati*) exploravit, gustavit, an a משש Hebr.

Min Lap: cum, ex, in. מן Hebr.

Sudi Lap: ferbuit, coxit. זוד Hebr. *Sôd* Svet.

Sudi Lap. peccavit: זוד Heb: *Synda* Svet. a Suda Svet: polluere, inquinare.

Sudon Lap: peccatum. זדון Hebr: *Synd* Svet:

Laiti Lap: maledixit. לוט Chald: Syr.

Hniz Lap: culter et quidquid acutum. חנית Heb.

Kiesi Lap. operuit, texit, involvit. כסה Hebr.

Pæli Lap: separavit, seposuit,. פלא Hebr: unde

Pæle Lap: latus separatum, & hinc forte

Pol Svec: polus Lat: ut *Polus septentrioralis, polus australis*, ceu latera maxime separata.

Uazi Lap: egressus est, exivit. יצא Hebr.

Thivoi Lap. ædificavit, reparavit, adornavit. אטבע Arab. unde תבה Hebr. תבות Chal. *Tòpt* Isl. arca.

Uargi & *Rugui* Lap. festinavit, acceleravit. רגע Heb.

Siurho s. *Sciurho* Lap. hordeum, granum. שערה H.

Jarodi Lap. decidit, defluxit, corruit. ירד Hebr.

Jaur Lap. lacus יאר Hebr.

Safothi Lap. quievit, cessavit,. שבת Hebr.

Safoth Lapon. quies cessatio, taciturnitas. שבת H,

Kazi Lap. evigilavit. קיץ H.

Kieze Lap. æstas קיץ Hebr.

Kez Lap. finis. קץ Hebr.

Sekaia vel *Skaia* Lap. cancellum. שבכה Hebr.

Ali Lap. ascendit, in altum elevatus fuit. עלה Hebr.

Alah Lap. altus, eminens, excelsus. על & עליון Heb.

Juk & *Ke* Lap. qui כי Hebr.

Pæ-

Lat-

Fauro Lap. decor, ornatus, pulchritudo, פאר hebr. unde *fair* Angl. & *faer* sive *fager* Svet. pulcher.

Kuoim & *Kueim* Lap. עם heb. cum, Lat.

Katzi Lap. invidit, fastidivit, abominatus vel detestatus fuit. קוץ hebr.

Katze Lap. invidiosus, detestans.

Katze Lap. irâ efferbuit, iratus vel indignatus fuit קצף hebr.

Katz Lap. ira, indignatio, קצף hebr.

Gaski Lap. rosit, corrosit, item corrosus fuit. עשע & עש unde

Gaska corrosus. עששה heb.

Puodki Lap. in rimas scissus fuit, unde

Puodke Lap. fissura, rima. ברק hebr.

Purki vel *Purgi* Lap. invisit, male optavit, maledixit. ברך heb. per. antiphr.

Abosti Lap. superfluxit. פשט hebr. *Pöste* Svet.

Hoki Lapon. percussit. הכה hebr. *Hög* Svet.

Hædi & *Hewedi* Lap. honoravit, adoravit. חוד heb.

Had Lap. dignus, æstimatus. חוד hebr.

Joh vel *Hio* Lap. fuit. היה H.

Lahi s. *Laki* Lap. lassus, segnis fuit. להה Hebr.

Laihe Lapon. segnis, lassus. להי Hebr.

Made Lap. multus, copiosus. מאד Hebr.

Madi Lap. sæpe, frequenter, copiose. מאד Hebr.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 187, [14] - -
PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover
035
036 856 290

3114.

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

a
IV 9 L 3114


Z

4°

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 187, [15] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 187, [16] - -

PUBLIC DOMAIN